Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26131
Copyright: Admont, Benediktinerstift



sunt et innumerabilia. preceptorum ip
sius paginas uix quisque enumerat.
quanto magis ipsa que uolunt?
Tamen dominus propter eos qui se possunt
excusare. uel quia eis non uacat
legere. uel quia non possunt facile
intelligere. ut excusationem nemo
habeat in die iudicii. uoluit sicut
scriptum est consummare et breuiare
uerbum super terram. sicut predixerat
propheta de illo. Verbum enim con
summans et breuians. faciet dominus
super terram. Hoc ipsum consummatum
uerbum et breuiatum. nec obscurum
uoluit esse deus. Ideo breue ne
non uacaret legere. ideo apertum.
ne dicat non michi licuit intel
ligere. Thesaurus ergo est magnus.
diuinarum in se habens mirabilia.
precepta multa tamquam multas
gemmas. et preciosa monilia. et
uasa ingentia. et magni metalli.
Si quis potest seruare thesaurum
istum. et peruenire ad omnia que
ibi sunt? Quando hanc similitu
dinem suam dominus dedit in euan
gelio suo. dixit. simile est regnum
celorum thesauro inuento in agro.
ne quis se minus idoneum diceret
ad perscrutandum thesaurum. con
tinuo dedit aliam similitudinem.
simile est regnum celorum homini
negociatori querenti bonas mar
garitas. qui inuenit unam preci
osam margaritam. et uendidit omnia
que habuit. et emit illam. ut si
piger eras ad perscrutandum thes
aurum. non sis piger unam marga
ritam sub lingua ferre. et quo uis
securus ambula. Quid est uerbum
consummans et breuians? Diliges
dominum deum tuum ex toto corde tuo.
et ex tota anima tua. et ex tota
mente tua. et diliges proximum
tuum tamquam te ipsum. In his duobus
preceptis tota lex pendet et prophete.
Ecce quod discitur in domo discipli
ne. diligere deum. diligere proxi
mum. Deum tamquam deum. proximum
tamquam te. Hec enim inuenis parem
domino. ut possit tibi dici. diliges deum
sicut diligis illum. De proximo
inuenta est tibi regula. quia in
uentus es proximo tuo par. tu